B. N. C
FIRENZE
1045
13

Digitized by Google

1045.13

4
1
3

1045.13

XXXVIII
ADF

1045·13

81

SANCTISSIMAE

VIRGINIS

INCESSVS AD TEMPLVM
FESTO
PVRIFICATIONIS
SVAE DIE CELEBRATVS,

Item Elegia in eiuſdem Virginis laudem.

AVTHORE

Petro Adriano Van den Broecke belgà
Philoſophię, & artium Doctore Louanienſi,
Publico Eloquentię Profeſſore Piſis,
Librorumque ad Linguam latinam Spectantium
Sancti Officij Piſarum
Cenſore.

Dicebant in AEde Sancti Franciſci Piſis
Ingenui Adoleſcentes

Ioannes de Cianfis Ciuis Piſanus,
Et Rainerius de Naldis Liburnenſis.

Piſis |Typis Ioan: Ferretti 1664. *Superiorum licentia*

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

1045.13

FRANCISCO
COMITI ILCIO
ARCHIEPISCOPO PISANO
S. P. D.
Petrus Adrianus van den Broecke Belga.

VEnerationis meæ obſequia; quibus & de aduentu tuo fęliciſſimo, & de hoc nouo ampliſſimæ Dignitatis apice tibi gratularer, in hoc vſque tempus, tum valetudinis cauſâ, tum mei quàdam ingenuitate pudoris diſtuli, quod non auderem Tibi ſummis natalibus Viro, ſummiſque virtutibus exornato ego nouus homo ſine vllà notitia ſic nudus obrepere. Cogitaui itaque Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine omnium optime, ac intergerrime Antiſtites in hoc qualicumque pietatis dono mea in primis venerandi officia, tum cultum, tum amorem, quamque eximiæ tuę humanitati debeo obſeruantiam

teſtari, ſimulque ea omnia tibi optare; quę & maximi Cælites dare poſſunt, & tu merendo accipere potes, quæ vt aliquando rata ſint Deum optimum maximum precari non deſinam. Me interim pro tuà ſingulari benignitate clientibus tuis inſere, tuàque gentilitià Aquilà Si qui obuolent accipitres auerte. Vale.

Piſis decimo Kal. Februarias CIƆ IƆCLX IV.

SAN-

SANCTISSIMAE

VIRGINIS

Inceſſus ad templum feſto Purificationis ſuæ die cum aliquo tunc viuendi deſiderio celebratus.

OBuia tota veni Solymæ formoſa Iuuentus,
Vos Matres, placidæque Nurus, placidęque Puellę,
Et tota aereo Carmeli à vertice pubes
Appropera. Thalamis iam Virgo Regia prodit,
Iam graditur, iam tota Deę reſplendet imago,
Iam cęleſtis honos per lumina caſta Iuuentæ
Emicuit, lętiſque procul fulgoribus ardet.
Sic ipſa exoritur fuluò pulcherrima Gange
Aurora, & primis immittit lumina terris.
It Virgo, geſtàtque ſinu ſua Gaudia Prolem.
Nec Pueri Riſus, nec Matris baſia ceſſant.
It Senior lacrimans Diuique auguſta latentis
Ora notat, tacituſque immenſum Numen adorat.
Quàcumque ingreditur, Genitrix quà Regia tendit,
Intuituſque mouet, viſu lętabile monſtrum
(Dum męſti Squallent hiberno Sydere campi)
Sponte ſuà Tellus flores reuireſcit in omnes
Vallibus & virides redeunt, & collibus herbę,
Ipſę etiam Platani, Palmæque virentis Idumes
Seu geſtire velint demiſſo vertice nutant.
Omniſque affulget facies lętiſſima rerum.
Quo mihi Iordanis longinquo elaberis Amni?
Cur fatale ſolum, nec flumina tanta videre,
Nec licuit Solymis exciſa in rupibus antra]
Aſpicere, & nati prima incunabula DIVI?
Si mea Cælicolæ ſub tam fęlicibus annis
Fluxiſſet quondam prima lanuginis ętas.
Vos ego Cælicolę, vos conſcia Sydera Partus
Vos teſtor. Primum gelidi penetralia tecti,
Lapſa licet monumenta, licet ſint pendula Saxo

Rude,

Rudera, ſitque quies Solymis nocturna colonis
Ipſe tamen ſacro pectus ſuccenſus amore
Humectans lacrymis humectans omnia fletu
Luſtraſſem Supplex, nec non pia baſia libans
Hæſiſſem amplexus poſtes amplexus & antra.
Tum quo memnonij veniſſent Sijdere Reges,
Quæ pietas auguſta Viris; quæ regia Proli,
Quæ Matri ferrent nabathei à finibus Indi
Munera; tumque habitus, proceraque corpora Regum,
Et coram Eoos licuiſſet diſcere vultus.
Tum quà tuit Genitrix, quà ſcandit in ardua templa;
Ipſe viam tyrio ſi murice, ſique Smaragdis,
Nec gemmis poſſim, nec pictà inſternere veſte;
At Saltem viridi ramo, palmaque virenti
Sparſiſſem, lætuſque legens veſtigia Matris,
Ingenti ſolijmos teſtarer voce per omnes.
Iam promiſſa Salus per magnę fœdera Gentis,
Per magnos Atauos, & priſca oracula Diuùm,
Iam Solijmas tandem, dilectaque reſpicit arua.
Quam coram aſpicitis Deus eſt hæc Regia Proles,
Hæc etiam Genitrix magnis à Regibus orta
Nunc ſua templa ſubit. Vos ſons abſiſtite Vulgus;
Et caſti ſubeant caſtà cum Virgine Cœtus.
Tuque adeo longæue Senex templique Sacerdos
Nec latices affer, nec dic luſtralia verba.
Non iubar eſt Phoebi, non Lunę pulchrius aſtrum,
Dum formoſa nitet, dum toto candida vultu
Non Sinit in tenebris funeſtam horreſcere noctem.
Non macula eſt Matri, non priſco à crimine Labes.
Hæc ego. Si vitam tunc ducere fata dediſſent.
Nunc animus ſolus, nunc ſolaque vota ſuperſunt;
Tu Genitrix animum, Tu ſola amplectere vota;
Sique parum fas eſt cęleſtia Sijdera linqui,
In tua Templa veni, quæ nunc fumantibus aris,
Quæ Thure, & feſto late cumulauimus igni.
Ardent mille faces, ardent Tibi lumina mille.
Te veteres Tenebrę, Te victi limen Auerni,
Te manes, cęcumque Chaos, Te luridus Orcus,
Te pauet horrendà ſeptus caligine Pluto.
Per Te prima ſalus, per Te Lux Dia refulſit
Lux Dia de luce fluens; hanc cernere Coelo
Da Genitrix lucem, da Sijdera Sancta Subire.

FINIS.

Vates Puella in ripa Iordanis recinit quod in magnà natalitià nocte Numinis ab Angelis cani potuit. & ipſa exultans initio loquitur.

Viuit io Solymæ, viuit Regnator Idumes,
Nunc quoque Cęlicolum regia cura ſumus.
Stat Domus Iſacidæ, Seruant ſua fœdera Diui,
Votaque nec vanà fudimus vlla prece.
Vos quicquid caſti diuino Numine Vates,
Quicquid & antiqui pręcinuiſtis Aui;
Omnia iam rata ſunt; Soboles nunc Regia Cælo
Labitur, & toti Spes ſua nata ſolo eſt.
Lætantes ſuperos, lætantia vidimus aſtra,
Syderaque alternis ludere fulua choris.
Quà nocte æthereis ſonuit vagitibus aura,
Et caſta eſt nato Numine facta Parens.
Tunc nulli venti, nullique per æthera nimbi
Imbriferum nebulis exeruère caput.
Brumaque delituit, pluuiaſque, geluque, niueſque
Hinc procul arctois abdidit alta iugis.
Alipedes ſoli, ſola Ætheris inclyta Pubes
Dum fluitat pennis tota coruſca ſuis,
Dum mille alternis innectunt orbibus orbes,
Nexilibuſque premunt nubila læta choris.
Omnes Sidereo promunt noua gaudia cantu,
Omnes cum nato gaudia nata Deo.
Tum noua terrarum, tum magni fœdera Cæli,
Atriaque occluſi iam patefacta poli.
Tum gaudent pæana Deo, peana Parenti
Vnanimes ſacris concinuiſſe modis.
Quas tibi Cælicolæ laudes, quę nomina Virgo
Quę te digna ſatis, quę ſatis apta canent?
Tu ſolo minor ipſa Deo mortalibus ęgris
Vna pręces, Superis omnibus vna pręces.
Iam tibi ſubiectis affulgent ignibus aſtra,
Affulgent radijs Sydera tota ſuis.
Subdit Luna Tibi, ſubdit ſua lumina Titan
Et quęcumque vehit lucida monſtra polus.
Sub te nunc gemini decurrunt ęquora ponti,
Decurrit Salſis Vtraque Doris aquis
Non mage Tyndaridæ, non Sijdera graia relucent;

Tu ſola

Tu ſola eſ toti nunc Cynoſura mari.
Dum furit bibernis tempeſtas aſpera nimbis,
Itque procelloſis naufragus horror aquis,
Dum fracta antennę, dum prora auulſa fatiſcit,
Iam ſuperante Noto, iam ſuperante ſalo.
Ad te ſi palmas moriturus nauita tendit,
Oratam in medio gurgite ſentit opem.
Nedum informe Chaos, nedum primordia mundi,
Et nedum ęthereo Sydera fixa polo.
Nedum pontus erat, nedum vaga flumina, nedum
A' medio Tellus aere cincta fuit.
Cum Pater ipſe sibi te diù in n.ẽnte ſacrauit
O' Virgo, ò Solymi prima Puella ſoli.
Tunc Magno Partu, magno decreta Tonanti
Es Genitrix, cunctis lęta futura ſalus.
Vel nunc mille aras tibi templa immania mille
Aſpicimus celſis ire ſub aſtra tholis
Aſpicimus bimari iam vecta metalla Chorinto
Iam vecta à parijs candida ſaxa iugis.
Oebalia cautes iam pictis lucida venis
Marmora, iam ſilices dardanis Ida dabit.
Semper honos templiſque tuis, arisque manebit,
Ibit & à magno laus tua prima Deo.
Hos inter cantus ebur immortale per auras
Dum ſonat, & numeris dum canit ęthra ſuis;
Dum tacitę valles, nocturnaque collibus antra,
Totaque palmiferę ripa reſultat aquę.
Caleſtes choreas veniens Aurora diremit,
Et lęta eſt roſeo lumine nata dies.

FINIS.

2
1045.13
88 357258

1065.13

1045.13
z